

**Dissertatio medica inauguralis de typho : quam ... pro gradu doctoris ...
eruditorum examini subjicit / Henrico Xavier Baeta, Lusitanus.**

Contributors

Baeta, Henrique Xavier, 1776-1854.
Constântio, Francisco Solano, 1777-1846.
Darwin, Erasmus, 1731-1802.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat C. Stewart et socii, academïæ typographi, 1800.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/u6bj47k>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

T R P H O ;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HENRICUS XAVIER BAETA,

LUSITANUS.

Quæ phenomena practica edocere.

SYDENHAM.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCIJ, ACADEMIÆ
TYPOGRAPHI.

1800.

Ao Sr^o D.^o Sequeira,
este piqueno signal de estima
he oferecido com
profundo respeito, pelo
seu obed. Criado o
autor

JOSEPHO DIAS BAETA,

EXIMIO PATRI;

NECNON

ANNÆ ROSA JOAQUINA,

MATRI DILECTISSIMÆ;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMI AMORIS

GRATIQUE ANIMI ET OBSERVANTIÆ

FIGNUS,

CONSECRAT

HENRICUS XAVIER BAETA.

JOSEPHO DEAS BATHA

RECEIVED

RECEIVED

RECEIVED

RECEIVED

RECEIVED

RECEIVED

RECEIVED

RECEIVED

RECEIVED

ADMONITIO.

QUÆ PHÆNOMENA PRACTICA EDOCUERE.

Syd.

NEGLECTIS THEORIIS, DE FACTIS TANTUM OBSERVATIONIBUSQUE QUOTQUOT ADHUC INNOTESCUNT, TRACTABO.

p. I.

This is easy enough, and authors do it every day, as monks count their bead-roll.

BEDDOES.

CUM Facultas Medica in academia Edinenſi mihi conſenſum non præberet ad prelo ſubjiciendum diſſertationem meam de febris intermittentibus, in quâ Dris Daruini theoriam ſuſtentabam *, quoniam profeſſores in eâ univerſitate credunt quamlibet doctrinam præter eam, quæ a Dre Cullenno nobis tradita eſt, (in qua remiſſa judicandi facultas, atque idearum contrarietas haud rarò pro juſta ratiocinatione inveniuntur),
de

* Vide Diſſertationem de febris intermittentibus præcipue medendis. Edinburgi, 1800. Quanquam profeſſores in *Academia Edinenſi* Dris Daruini theorias maxime ſpernunt; attamen hæ a multis ſcriptoribus, qui de Medecina ac Philoſophia bene merent, magnopere laudantur: in hujus teſtimonium adduci poteſt quod medicus celeberrimus de Zoonomia ait: *Zoonomia* (Dris Daruini) *bids fair to do for phyſic, what the principia of Sir Iſaac Newton have done for natural philoſophy.*

de *ejus inclytæ* academix fama detrahere * posse ; et cum variæ rationes *ad Dris gradum* in ea universitate consequendum me suaderent ;—hanc dissertationem de typho scripsi, in qua tantummodo facta ac observationes quæ de morbo extant exposui ; attamen cum ad proximam morbi causam advenirem, et aliquid de hac mihi dicere necesse fuisset, Dris CULLENI doctrinam ipsius verbis utens retuli.

The people like a headlong torrent go. DRYDEN.

Sed illico postea quæstionem proposui, quæ sanè professoribus oblata est ; de quo faciendo me avertere non potuit, quod Franklin sapienter ait,

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum †.

Unde intelligi potest me theorias non spernere, quæ ex naturalibus principiis, *valida ratiocinatione deductæ, non solum morborum naturam explicant, sed etiam nos docent quomodo remedia, quibus nos utimur, ad eos compescendos, in systemate animali agunt.

To think, ait Zoonomix auctor, (cujus nomen mihi perquam charissimum est), *is to theorise.*

* Hic referre mihi certe proprium videtur quod Dr Beddoes de simili re dicit. “ I suppose many readers will concur with me in regarding with contempt the *patch-work* of education ; whether it consist of a specimen of penmanship, retouched by the master for the honour of the school, or of an *inaugural specimen*, garbled by the professors for the honour of the university.”

† Hic intelligendum volo Franciscum Solano Constantio, Lusitanum, cui *Dris gradus* in academia supra dicta denegatus fuit. Vide Appeal to the gentlemen studying medicine, &c. by Francisco Solano Constantio, Edinburgh, 1797.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO.

HENRICO XAVIER BAETA, AUCTORE.

NEGLECTIS theoriis, de factis tantum, observationibusque, quotquot adhuc innotescunt, tractabo.

DEFINITIO.

“ Morbus contagiosus ; calor parum auctus ;
“ pulsus parvus, debilis, plerumque frequens ;
A “ urina

“urina parùm mutata ; sensorii functiones
“plurimum turbatae ; vires multum imminu-
“tæ.”

Cull. Syn. Nos. Meth. vol. 2. cl. 1. ord. 5. gen 5.

HISTORIA.

Ineunte morbo, æger oscitat ; inquietus est, velut labore fessus ; alternis vicibus frigore horrescit, et calefcit : posteaque superveniunt lassitudo ; vertigo ; dorsi, et sæpe capitis dolor ; debilitas ; animus demissus ; somnus turbatus ; nausea ; vomitus ; cibi fastidium ; sitis modica, quandoque vero urgens ; cutis arida, ejusque calor haud multum auctus ; lingua humida, ac muco albido tecta ; alvus adstricta ; urina pallida ac limpida ; pulsus frequens, debilis, et interdum intermittens ; respiratioque laboriosa. Hæc symptomata plerumque ad septimum usque morbi diem, in gradu haud magno, observata sunt : quandoque verò unum

vel

vel alterum gravius evadit; imoetiam alia nondum descripta, sicut delirium, stupor, tinnitus aurium, &c. manifesta fiunt. Non desunt scriptores de hoc morbo, qui petechias in hac periodo observarunt; Hasenohrl (de febre petechiali), et Ramazini (de constitutionibus annorum 1692, 1693, 1694): Sed e contra, ex multorum medicorum testimonio patet, nulla, inter hæc, imoetiam pauca, inter prius descripta, symptomata, haud raro in hoc morbi stadio inventa esse.

Ad septimum vel octavum morbi diem vertigo ac capitis dolor multum ingravescent: tinnitus aurium, et delirium, interdumque stupor superveniunt; vires quasi lassitudine effluunt; adeo quidem ut, corpore erecto, animo æger deficiat; tuncque omnes artus graviter tremunt: lingua, quoties eam exferit ægrotans, multum tremiscit; et in mediâ potissimum parte, aridâ, et subflavâ, quandoque verò subnigrâ crustâ obducta, observata est.

Sæpe fudor gelidus a fronte fluit, dum ardescit facies.

Circa nonum, decimum, vel duodecimum morbi diem, fudor profusus, plerumque gelidus, ac viscidus, ex artubus prorumpit, comitante simul diarrhœa exhaustante; tunc petechiæ aut vibices in cervice, pectore, et brachiis apparent: hæ tamen, ut supra dictum, ante hanc periodum interdum exoriri solent. Nunc adfunt collapsus faciei; subsultus tendinum; extremitatum tremores; vox deficiens, ut vix audiri possit; deglutiendi facultas imminuta, imo penitus ferè deleta; surditas; visus duplex; strabismus; muscæ ante oculos volitantes; pupilla admodum dilatata; floccorum collectio; dentes, et labia nigra; anima foetida; fœcum et urinæ involuntaria emissio; interdum dysuria; singultus; respiratio laboriosissima; pulsus denique admodum debilis, ut explorantem medici digitum pene effugiat, supra modum frequens, 130, 140, 150, imo etiam 160, in horæ sexagesima parte, interdum intermittens.

Hicce omnibus symptomatibus, vel tantum horum nonnullis, cum hæc gravissima evadunt, convulsio superveniens vitæ miseræ finem imponit.

Hæc sunt phænomena, quæ a variis scriptoribus, Dr Pringle (Diseases of the Army), Dr Cullen (Practice of Physic), Dr Donald Monro (Diseases of the Army), Dr Gregory (Aud. præl. de Med. Pract.), Dr J. C. Smyth (Jail-distemper), Dr Trotter (Med. Naut.), ac Dr Fordyce (Third Dissertation on Fever), in Typho referuntur. Præter verò hæc, alia a Dre Donald Monro, (Lib. cit. vol. i. p. 271.—289), sicut vermes, glandulæ tumidæ, ophthalmiæ, hæmorrhagiæ, &c. relata sunt. Attamen hæc signa, sicut et alia antea exposita, videlicet, petechiæ, furditas, stupor, &c. secundum quosdam auctores, tantummodo in typho graviori (jail-fever, ship-fever, malignant fever, &c.) observari possunt.

DIAG-

DIAGNOSIS.

Ex iis, quæ hætenus dicta fuere, typhi diagnosis in propatulo erit: confitendum tamen est, hanc omnium horum symptomatum præsentia minimè stabiliri: quia typhus haud raro extat, cum non solum unum, vel alterum, sed etiam plurima horum phænomenorum absunt.

PROGNOSIS.

Hæc et e complexo, vel simplici; et e violento, vel moderato, phænomenorum antea, maxime eorum in tertio stadio descriptorum, gradu deducenda est.

CAUSÆ REMOTÆ.

Omnia qualiacunque sint, quæ corpus magnopere debilitant, ex. gr. prægressi morbi, qui
aut

aut violentia, aut diuturnitate vires labefactaverint; magna vis five caloris, five frigoris; aer impurus; immunditia; intemperantia, imprimis ebrietas, et effrænata libido; diæta prava; herbarum recentium inopia; vita sedentaria; defatigatio; inertia; vigiliæ nocturnæ; affectus deprimentes, vel in magno gradu excitantes, hîc referri debent. Contagio etiam inter causas typhi remotas recensenda est, quanquam ejus existentia (imo etiam in peste) a nonnullis in dubium revocetur: Circa quod D. Howard (Lazarettos, p. 42.) ait, “ Though
“ there are various points in which the answer-
“ ers of the preceding questions disagree, yet
“ it is with pleasure I observe, that they all, in
“ the most explicit manner, concur in repre-
“ senting the plague as a contagious disease,
“ communicated by near approach to, or ac-
“ tual contact with infected persons or things.
“ This is a fact of the greatest importance to
“ be established, as all the proposed means of
“ prevention, by cutting off communication
with

“ with the sources of infection, must depend
 “ upon it: it is a fact too, which one would
 “ suppose, after such manifold and repeated ex-
 “ perience, no one would call now in que-
 “ stion.” In hujus confirmationem adduci
 possunt observationes, quæ de hac re a Dre
 Pringle (Lib. cit. p. 341.), Dre Lind (on Fe-
 vers and Infection, p. 62.), Campbell (Observ.
 on Typhus, p. 32.), ac Alex. Russel (on the
 Plague, p. 192.), prolatae sunt. Multi sunt
 scriptores, qui eas causas typhi remotas refe-
 runt: hæc attamen a quibusdam optimè eluci-
 datae fuere. Roger (Essay on Epidemic Dis-
 eases), Heisham (Account of the Jail-fever),
 Pringle (Lib. cit.), Howard (on Prisons et La-
 zarettos), Ferriar (Med. Hist. and Reflections,
 vol. 3.).

CAUSA PROXIMA.

Cum antea a nobis, theorias esse relinquen-
 das, dictum fuerit; hîc tantummodo Dris CUL-
 LENI doctrinam, ipsius verbis utens, referam.

“ The

“ The remote causes are certain sedative
“ powers applied to the nervous system, which
“ diminishing the energy of the brain, there-
“ by produce a debility in the whole of the
“ functions, particularly in the action of the
“ extreme vessels: such, however, is, at the
“ same time, the nature of the animal eco-
“ nomy, that this debility proves an indirect
“ stimulus to the sanguiferous system; whence,
“ by the intervention of the cold stage, and
“ the spasm connected with it, the action of
“ the heart and larger arteries is increased,
“ and continues so till it has the effect of re-
“ storing the energy of the brain; of extend-
“ ing this energy to the extreme vessels; of
“ restoring therefore their action, and thereby
“ especially overcoming the spasm affecting
“ them; upon the removing of which, the ex-
“ cretion of sweat, and other marks of the re-
“ laxation of excretories takes place.” (First
“ Lines, art. 76.).

QUOMODO SUNT TYPHI SYMPTOMATA HAC
THEORIA EXPLICANDA?

REMEDIA.

imo, Lavatio corporis aqua frigida tantum, vel cum aceto conjuncta, a Dre Gregory in Nosocomio Edinensi præscripta, me teste, semper utilissima fuit, cum cutis calor supra gradum naturalem erat : hâc Lind et Wright pari successu usi sunt.

Hujus applicationis utilitas et confirmata et commendata est, a Dre Jackson (on Fevers, p. 228.), Dre Rush (Bilious Yellow Fever, p. 209.), ac a Dre Ferriar (Medical Histories and Reflections, vol. 1. p. 124.). Aquæ gelidæ affusio, quam Dr Currie se felicissimo eventu sæpius in hoc morbo usurpasse testatur (Med. Reports, chap. 5.), in ipso nosocomio a Dre Home pari successu præscripta fuit: quod Domini Howard observationes pariter illustrant (Account of the Prisons, p. 23. and 55. & of the Principal Lazarettos, p. 104. &

155.). Hîc etiam locum habent frigidæ portiones, quæ, cùm in iisdem rerum adjunctis usitatæ sint, utiles repertæ sunt a Dre Jackson (Lib. cit. p. 216.), et a Dre Currie (Lib. cit. chap. 9.): has etiam Hippocrates, Galenus, Celsus, Cardanus, ac P. Alpinus extollunt.

2do, *Vesicatoria*: hæc a variis medicis, Dre Lind (Essay on Fevers), vide etiam (Medical Commentaries, 1st Dec. vol. 4. p. 309.), illicò a principio morbi adhibita fuere: sed horum applicatio a multis in ultimis morbi stadiis tantummodo commendatur; quia tunc utiliora evadunt: (Dr Gregory Consp. Med. Theor.), (Sydenh. oper. e Latin. in Angl. a Dre Swan conv. p. 33. not. (u), (Pringle lib. cit.) (Blane, diseases of Seamen), (Donald Monro, lib. cit.), (Dr Percival's Essays, Med. and Exp. vol. 1.), &c.

3tio, *Fomenta ad artus inferiores vel superiores*, &c. in Nosocomio Edinensi a Dre Rutherford, cum successu præscripta vidi: his

etiam alii cum eodem felici eventu usi sunt : Dr Heisham (Account of the Jail-fever), Dr Hunter (Observ. on the Diseases of the Army), Dr Blane (Lib. cit.), Howard (Lib. cit.) Dr Fordyce (Fourth Dissert. on Fevers), Dr Home (Clin. Exp. and Hist.).

4to, *Balneum calidum* a Galeno et Celso frequenter adhibitum fuit ; hoc Gilchrist felicissime usus est : utilitas hujus remedii a Dre Brandis (Duncan's Annals of Med. 1796.), et Dribus. Ferro ac L. Frank (Medical and Physical Journal, vol. 2.), confirmata est. Ex horum medicorum observationibus, sicut et etiam Dris Percival (Lib. cit. vol. 2. p. 202.), patet, hujus remedii usum utilissimum esse in ultimis typhi stadiis, vel quando generalis debilitatis signa magis manifesta fiunt.

5to, *Sanguinis detractio* a nonnullis medicis in principio typhi gravioris (malignant fever), cum symptomata inflammationis adsunt, commendata est : a Huxham (Essay on Fevers), Pringle (Lib. cit.), Donald Monro (Lib. cit.)

Rush

Rush (Yellow Fever), ac Dre Ferriar (Medic. Hist.). Hæc etiam a Sydenham, et a plurimis scriptoribus ab eo citatis, Pereda, Zacuto Lusitano, Fonseca, Leonardo Botallo, &c. in febre maligna laudata fuit.

Hoc remedium verò magnâ cautelâ adhibendum est secundum Huxham, ac Donald Monro, &c.; quia ab eo tanta debilitas induci potest, ut vita in periculo haud parvo sit; hinc a Robertson (Essay on Fevers) semper rejicitur.

6to, *Sudorifica*, velut præparationes antimoniales, sine vel cum opio administratæ; opium cum ipecacuanha, &c. a multis medicis commendantur. Hæc verò in principio morbi utiliora reperiuntur.

7to, *Vomitoria*: hæc in principio typhi plerumque, in nosocomio supra dicto, utilia reperta fuere. Multi sunt medici, qui iis in hoc morbi stadio utuntur, Lind (Lib. cit.), Donald Monro (Lib. cit.), Robertson (Essay on Fevers, and

and Observ. on Jail, Hospital, and Ship-fever), Trotter (Medecina Nautica.), &c.

8vo, *Cathartica* a Dre Rush magnopere extolluntur (Lib cit.): horum vero utilitas secundum Robertson (Essay on Fevers) solummodo percipi potest, cum ea in primis morbi stadiis, vel cum alvus adstricta est, exhibita fuerint; quod a Dribus Donald Monro, ac Trotter confirmatur.

Enemata hîc quoque memoranda sunt; hæc in omni stadio morbi, cum alvus adstricta fuerit, adhiberi solent.

9to, *Cinchona* quidem a Dribus De Haen, Hasenohrl, Donald Monro, et Trotter multum laudata est, præcipuè verò a Dre Robertson (Essay on Fevers, p. 190. & Observ. on Jail, Hospital, and Ship Fever, p. 368.), vide etiam (Medical and Chirurg. Review, vol. 4. p. 56.). Felices cinchonæ effectus in hoc morbo haud raro in nosocomio Edinenfi observavi: sed hi minimè comparari possunt cum iis, qui a Dre Robertson referuntur. Hîc etiam referenda sunt,

sunt,—Cortex angusturæ, cortex winteranus, cortex swieteniæ soymidæ, cascarilla, salix alba, cortex quercus, &c. quibus varii medici non sine utilitate in typho usi sunt.

10mo, *Serpentaria virginiana* a nonnullis commendatur. Donald Monro (Lib. cit.) J. C. Smyth (Lib. cit.), Townsend (Guide to Health), vide etiam (London Practice of Physic.). Hanc in nosocomio a Dre Rutherford præscriptam vidi, sed non feliciter admodum.

11mo, *Tinctura cantharidum* a Dre Hillary (Diseases of Barbadoes) præscripta fuit; Dr Home eâ ad gutt. xx. felicissime usus est (Clinical Experim. and Hist. p. 19.).

12mo, *Vinum*: hoc remedium multorum medicorum experientia, in curatione typhi, per totum hujus cursum, cum symptomata inflammationis non adsunt, utilissimum inventum est. Huxham (Essay on Fevers), Pringle (Lib. cit.), Donald Monro (Lib. cit.), CULLEN (Practice of Physic), Robertson (Lib. cit.), Hunter (Lib. cit.), Rush (Lib. cit.), Towns-
end

end (Lib. cit.), &c. Utilitatem hujus medicamenti, in nosocomio antea dicto, præscripti semper atque semper observavi.

I.

Vem, vem potente Bacho,
Vem ———

II.

Tu, grande Rey, governas
Os reinos da Alegria, e do Deleite,
Nossos humores
Rápidos, lentos,
Punges, refreias :
'Tu animas os danças os festejos,
E ameigas no teu collo os lindas Graças,
Que o riso airoso negão.
Aos ímpios, que os Altares teus não
beijão.

Francisco Manoel Hymno a Bacho.

Hic quoque enumerandæ sunt variæ e spiritu vinoso præparationes; attamen harum usus non adeo efficax repertus est.

13mo, *Æther vel ejus præparationes* in typhi cura commendantur a J. C. Smyth (Lib. cit.), Rush (Lib. cit.), Trotter (Lib. cit.), ac a Dre Ferriar (Med. Hist. and Reel. vol. 1.).

Æther vitriolicus in removendis intermittentibus, cum paulo ante paroxyfmi accessum exhibitus fuisset, utilissimus inventus fuit. (Med. Facts, vol. 5. p. 68.).

14mo, *Spiritus ammoniæ*: hoc Pringle (Lib. cit.), Donald Monro (Lib. cit.), Trotter (Lib. cit.), ac Townsend (Lib. cit.), manifestâ utilitate usi sunt. Vide (Duncan's Med. Com. 1st Dec. vol. 1. p. 57. & Lond. Pract. p. 38.).

15mo, *Moschus*, intra typhi remedia etiam a nonnullis enumeratur: Trotter (Lib. cit.), J. C. Smyth (Lib. cit.), vide (Lond. Pract. p. 27.), et maximè (Dr Clark on the Diseases of Hot Climates, p. 142.): hujus verò remedii salutares effectus, secundum Drem Fordyce, (Fourth Dissertation on Fever, p. 141.), non magni sunt.

16mo, *Camphora*, quæ a Dre Rutherford in

nosocomio non sine felici eventu præscripta fuit, ab aliis etiam medicis adhibetur; Townsend (Lib. cit.), Rush (Lib. cit.); vide etiam (Howard on Lazarettos, p. 43. and Edinburgh Disp. p. 132.).

Attamen Dr Trotter (M. N. vol. 1. p. 96.) se salutares hujus effectus in typhi curatione nullos vidisse, nisi dysuria adestet, testatur. Dr Home (Clin. Exp. and Hist. p. 55.), non solum ejus usum non commendat, sed etiam reprobatur. Dr Fordyce (Fourth Diff. on Fever, p. 142.—144.), eam tantummodo cum opio conjunctam utilem invenit.

17^{mo}, *Opium*: hujus remedii usus a multis celebratur. Robertson (Essay on Fevers, p. 204.), Hunter (Diseases of the Army, p. 103.), Trotter (M. N. vol. 1. p. 295.), ac Ferriar (Med. Hist. and Reff. vol. 3.).

Hoc medicamentum unà cum infuso catechu, ad 2dam vel 3tiam qq. h. feliciter a Dre Duncan in nosocomio præscriptum vidi.

18^{mo}, Recenter *opium*, cum internè exhiberi
non

non posset, externè per frictions ad artus inferiores, vel alias corporis partes applicatum fuit, et, testantibus variis medicis, non sine felici exitu; Dr Percival, ac D. Ward: vide (Medical and Physical Journal, vol. 1. p. 441.).

19mo, Nuper quoque *spuma cerevisiæ* in fermentationis statu magno cum successu a Rev. Cartwright in typho exhibita fuit. Hoc medicamentum summâ cum utilitate Dr Thornton in typho exhibuit, (Townsend's Guide to Health.).

20mo, *Alterum remedium*, quod nuperrimè, in hujus morbi cura, utile inventum fuit, nempe, aeris plus oxygenati inspiratio, A QUIBUSDAM SCRIPTORIBUS, QUI DE MEDECINA AC PHILOSOPHIA BENE MERENT, commendatur.

Hæc sunt remedia, quæ medicorum experientia plerumque in typho utilia inveniuntur: notandum tamen est, eorum opportunum usum, sicut et proprias doses, ex natura, ac violentia symptomatum, quæ in morbo observantur,

vantur, atque ex ægrotantis peculiari constitutione, ac ætate, tantummodo nosci posse.

QUOMODO HORUM REMEDIORUM SALUTARES
VEL NOXII EFFECTUS IN TYPHO EXPLANANDI
SUNT?

Nunc secundum plurimorum scriptorum consilium, inter quos sunt maximè recensendi, Dres Robertson (Lib. cit.), J. C. Smyth (Lib. cit.), Trotter (Lib. cit.), ac D. Howard (Lib. cit.), Munditiem; frigidiusculam temperiem; ventilationem; silentium; parcam lucis admissionem; cibum, ægrotanti magis gratum; sed parcâ manu exhibitum, et, si utile videtur, ter, quaterve, aut plus in die repetitum; potum frigidiusculum, ac acidulatum; ac denique lætitiæ, spei delectabilis, imo etiam amoris in gradu moderato incitationem restat commendare—atque dicere,

Brevis esse laboro.

HOR.

